si potes responde mihi · et adversus faciem meam consis-
te; Ecce et me sicut et te fecit deus · et de eodem luto ego
quoque formatus sum; verumtamen miraculum meum non
te terreat · et eloquentia mea non sit tibi gravis ·
Dixisti ergo in auribus meis · et vocem verborum audi-
vi; Mundus sum ego absque delicto · inmaculatus et
non est iniquitas in me; quia querelas in me repperit ·
Ideo arbitratus est me inimicum sibi; posuit in nervo
pedes meos custodivit omnes semitas meas; hoc
est ergo in quo non es iustificatus; respondebo tibi quia
maior sit deus homine · Adversus eum contendis quod
non ad omnia verba responderit tibi; semel loqui-
tur deus · et secundo id ipsum non repetit; Per somnium
in visione nocturna · quando inruit sopor super ho-
mines · et dormiunt in lectulo · Tunc aperit aures
virorum · et erudiens eos instruit disciplina · ut a-
vertat hominem ab his quae facit · et liberet eum de su-
perbia · Eruens animam eius a corruptione · et vitam illi-
us ut non transeat in gladium · Increpat quoque per
dolorem in lectulo · et omnia ossa eius marcescere
facit · Abhominabilis ei fit in vita sua panis · et ani-
mae illius cibus ante desiderabilis; tabescet caro eius ·
et ossa quae tecta fuerant nudabuntur · Adpro-
pinquavit corruptioni anima eius · et vita illius
mortiferis; si fuerit pro eo angelus loquens unum
de milibus · ut annuntiet hominis aequitatem · mise-
rebitur eius et dicet · libera eum ut non descendat
in corruptionem · inveni in quo ei propitier; Consump-
ta est caro eius a suppliciis · revertatur ad dies ad-
olescentiae suae; deprecabitur deum et placabilis ei erit ·

audite me · Absit a deo impietas · et ab omnipotente
iniquitas; opus enim hominis reddet ei · et iuxta vias
singulorum restituet eis; vere enim deus non condempnabit
frustra · nec omnipotens subvertet iudicium; quem
constituit alium super terram · aut quem posuit super orbem
quem fabricatus est; si direxerit ad eum cor suum ·
spiritum illius et flatum ad se trahet · deficiet omnis caro
simul · et homo in cinerem revertetur; si ergo habes
intellectum audi quod dicitur · et ausculta vocem elo-
quii mei; numquid qui non amat iudicium sanari potest ·
et quomodo tu eum qui iustus est in tantum condemnas · qui
dicit regi apostata · qui vocat duces impios · qui non
accipit personas principum · nec cognovit tyrannum cum
disceptaret contra pauperem; opus enim manuum eius
sunt universi; subito morientur · et in media nocte
turbabuntur populi · et pertransibunt · et auferent violentum
absque manu; oculi enim eius super vias hominum · et om-
nes gressus eorum considerat; Non sunt tenebrae et
non est umbra mortis · ut abscondantur ibi qui operantur
iniquitatem; neque enim ultra in hominis potestate est ·
ut veniat ad deum in iudicium · Conteret multos innume-
rabiles · et stare faciet alios pro eis; novit enim opera eorum ·
et idcirco inducet noctem et conterentur · quasi impios
percussit eos in loco videntium · qui quasi de industria
recesserunt ab eo · et omnes vias eius intellegere
noluerunt · ut pervenire facerent ad eum cla-
morem egeni · et audiret vocem pauperum; Ipso enim
concedente pacem · quis est qui condemnet · ex quo abs-
conderit vultum · quis est qui contempletur eum ·
super gentem · et super omnes homines; qui regnare facit
hominem hypocritam propter peccata populi; quia

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. 756.71, 2r – Biblia latina: Vulgata, recensio Alcuini (https://fragmentarium.ms/view/page/F-2inj/5318/50548)